

instantia penitus non subsistit: quia ante talem scrutinii publicationem nec ipsi scrutatores sciunt, quot quisque vota reportaverit. Quod si autem loquamur de altero modo publicandi scrutinium, pariter in cit. num. 286, relato, jam talis consensus ipso jure reddit electionem nullam, juxta, c. *Cum post petitam*, 46, h. t. ubi electio censetur nulla, si nominatus in scrutinio absolute consentiat ante electionem communem, nisi notat Glossa ibid. §. *Requisitam*, et Abbas n. 2. Barbosa n. 2, et alii. Tunc enim, ut alia taceantur, fit inordinatus processus contra formam c. *Quia propter*, h. t. juxta quam exquisitis secreto votis singulorum, debet fieri horum publicatio in communi, tum eorum collatio et electio capitularis, et postea primum requiri, ac dari consensus electi; ut c. *Quam sit*, 6, h. t. in 6, et c. *Cupientes*. §. *Cæterum*, eod. in 6.

107. *Solvuntur alie instantie.* — Quod si urgeas: Vel compromissarius ille, qui sua acceptatione complet numerum votorum, acceptat electionem factam, vel faciendam. Non primum: quia antea necdum aderant majora vota. Neque secundum: quia alias eligeret seipsum, et talis electio inchoaretur a propria acceptatione. Resp. Eum acceptare electionem privatam aliorum prius se eligentium: sicque compleri pluralitatem votorum, ut exinde sit celebranda electio communis, seu capitularis. Neque hinc sequitur, quod quis eligat seipsum directe, et principaliter: sed solum accessorie, et complete, ut jam dictum.

## § V.

## DE ELECTIONE PER SCRUTINIUM.

108. *Electio per formam scrutinii, quæ? Circa hanc referuntur verba, c. Quia propter, h. t.* — Queritur I. Quid sit electio per formam scrutinii, et quæ obligatio decretalis, in c. *Quia propter*, h. t., relatæ? Resp. I. *Electio per formam scrutinii* illa est, quæ presentibus omnibus, qui debent, volunt, et possunt interesse, fit per collectionem suffragiorum circa eum, in quem major et sanior pars capituli consentit. Ita in re communis, et patet ex celeberrimo, cap. *Quia propter*, 42, h. t., ubi circa hanc formam electionis in concilio generali, sub Innocentio III, celebrato, refertur statutum in hæc verba. « Quia propter diversas electionum formas, quas

quidam invenire conantur, et multa impedimenta proveniunt, et magna pericula imminet Ecclesiis viduatæ, statuimus, ut cum electio fuerit celebranda, presentibus omnibus, qui debent, et volunt, et possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni: qui secreta, et singillatim vota eunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto: ut in collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major et sanior pars capituli consentit. — Aliter electio facta non valeat. » Hæc ibi.

109. *Plura, non tamen omnia ibidem comprehensa, sunt de substantia talis electionis.* — Resp. II. *Etsi non omnia dictis verbis comprehensa, sint de substantia electionis per formam scrutinii, plera tamen ejus substantialia passim inde colligunt doctores.* Ita rursus communis. Et quidem prior pars ex eo liquet: quia, ut alia taceantur, de quibus controvertunt doctores, presentia, et vocatio omnium capitularium non est de forma substantiali; cum contemptus aliquorum non inducat nullitatem electionis ipso jure; cap. *Quod sicut*, 28, h. t. Id ipsum habetur, in c. *Ecclesia vestra*, 31, §. *Denique statutum*, h. t., ubi dicitur, quod illa, « Presentibus omnibus, qui debent, et volunt, et possunt commode interesse, » non spectent ad formam electionis a concilio generali præscriptam: ne cætera, quæ alibi super hoc statuta noscuntur, uno verbo videantur everti, etc. Altera vero pars ex eo liquet: quia ex allegatis verbis Abbas Panormitanus, in cit. cap. *Quia propter*, n. 42 et seqq., ac ibi Fagnanus, n. 37 et seqq., h. t., enumerant octodecim substantialia electionis; alii plura, vel pauciora, quorum præcipua in progressu declarabuntur.

110. *Dispositio c. Quia propter, h. t., in quorum electionibus sit necessario observanda?* — Resp. III. Dispositio cit. c. *Quia propter*, h. t. solummodo procedit, ac necessario est observanda in electionibus illorum prælatorum, per quorum mortem ecclesiæ censentur viduatæ; non item in aliis electionibus inferiorum. Ita Glossa communiter recepta in d. c. *Quia propter*, vers. *Ecclesiis viduatæ*, et ibi Fagnanus, n. 5 et seqq.; Abbas Panormit., c. *Cum in jure*, n. 5, h. t., et alii. Id ipsum desumitur ex textu illius decretalis, ponderando priora verba allegati textus, *Ecclesiis viduatæ*: nam hæc, veluti posita in præmio

illius constitutionis, designant causam ejus finalem, et regulant totam dispositionem: ut L. I, ff. *de Orig. juris*, et L. ult., ff. *de Hæred. instituend.* Ergo, cum dicta nova constitutio specialiter intenderit providere Ecclesiis viduatæ, ac præcavere periculis, quæ ipsis imminebant ex diversis electionum formis, solummodo loquitur, atque necessario observanda est in electionibus illorum prælatorum, per quorum mortem ecclesiæ censentur viduatæ. Et talis est electio episcopi, qui est proprie sponsus ecclesiæ suæ, can. *Sicut alterius*, 7, q. 1, ac per obitum ipsius Ecclesia dicitur viduata, c. *Inter corporalia*, et cap. ult., *de Translat. episcop.*

111. *Inter abbates perpetuos, et ecclesiam, contrahitur quasi conjugium spirituale.* — Huc spectat electio abbatum perpetuorum, qui monasteria obtinent in titulum: nam, licet hi non tam striete ac proprie dicantur sponsi suarum Ecclesiarum, ut episcopi (unde et in episcopum eligi possunt, nec sunt solemniter postulandi, c. *Si abbatem*, 36, h. t., in 6), nihilominus inter eos et ecclesiam contrahitur quasi conjugium spirituale, atque per obitum ipsorum dicitur Ecclesia viduata; ut c. *Ne pro defectu*, 41, h. t., ac proinde in ipsorum electione oportet servare formam, in cit. c. *Quia propter*, h. t., præscriptam. Idem, atque ob eandem rationem, esse observandum in electionibus prælatorum principium in Ecclesiis collegiatis, qui in his habent generalem jurisdictionem, tenet Glossa, cit. c. *Quia propter*, vers. *Ecclesiis viduatæ*, et ibi Abbas, n. 7 et 8, intelligens Glossam; quando prælatus Ecclesiæ collegiatæ ita habet generalem jurisdictionem, prout habent abbates, qui possunt cognoscere de causis criminalibus, et civilibus: et sequitur Fagnanus, ubi supra, n. 31, citans alios. Nam tales prælati ratione generalis jurisdictionis, quam habent in Ecclesiis collegiatis, possunt etiam appellari quodammodo sponsi, sicque per eorum obitum remanet Ecclesia viduata, et sine pastore.

112. *Ad electiones inferiorum sufficiunt vota majora capitularium quomodocumque præstita in capitulo fuerint.* — Cæterum in electionibus inferiorum, ut puta canonicorum cathedralium, licet forma, in cit. cap. *Quia propter*, h. t., præscripta recte observetur; nihilominus rigor iste in eorum electione non necessario est observandus, nam per horum mortem non censetur Ecclesia viduata, ut omnes censent, cum non habeant ejusmodi generalem

jurisdictionem, sicut abbates; ac verus sponsus ejus, videlicet episcopus, adhuc vivat. Unde ob valorem talium electionum satis est, si capitulares collegialiter congregati, per vota majora quempiam cæteroquin habilem eligant, quomodocumque consensum suum exprimant; adeo, ut sufficiant etiam singulares consensus, dummodo præstentur in capitulo. Glossa, in c. *Sicut eum*, 21, vers. *Formam*; Fagnanus, loc. cit. n. 15; Pirhing, h. t., n. 203. Cæterum, an rigor ejusdem decretalis sit observandus in electione superiorum regularium, ex professo dicitur infra, § ult. num. 331 et seqq.

113. *Electio juxta d. c. Quia propter, h. t. debet fieri omnibus capitulariter presentibus.* — Queritur II. Quomodo electio juxta dictam formam scrutinii debeat fieri presentibus omnibus? Resp. I. Necesse est, ut ea celebretur omnibus in unum, seu collegialiter sive capitulariter congregatis, et non singulariter tantum. Non enim sufficeret, si nulla prævia capitulari congregatione quilibet electorum daret votum in camera sua; vel si eorum collegialiter non congregatorum vota colligerentur, modo hunc, modo illum singulariter dumtaxat vocando: prout innuit textus in sæpe, cit. c. *Quia propter*, ibi: « Presentibus omnibus; » juncto c. *In Genesi*, 35, h. t., ac notat Glossa communiter recepta in cap. 1, *De rebus Eccles. non alienand.*, in 6. Abbas et Fagnanus, ubi supra, merito inter substantialia talis electionis reponentes, ut capitulum congregetur.

114. *Possunt tamen capitulares, ut dent singillatim ac secreto vota sua, interim ad locum contiguum recedere. Idem probatur ex verbis cit. c. Quia propter.* — Resp. II. Non tamen obsistit validitati electionis, si canonici ad eam faciendam capitulariter convenientes, post electos scrutatores, ex capitulo ad alium locum contiguum recedant, indeque ad dandum singillatim, et secreto, ne ab aliis electoribus audiri valeant, votum suum singuli reddant, donec completo ipsorum eligentium numero, votisque per scrutatores inter se collatis, atque in scripta redactis, omnes de novo capitulum ingrediantur ad audiendam publicationem votorum, et communem electionem. Ita Petrus de Baisio, tom. XV, *Tractatum*, tract. *de Election.*, part. III, cap. xxv, n. 1 et seqq.; et Guillelm. Mandagotus, eod. tom. XV, *Tract. de Electione novi prælati*, cap. xxiv; Passerinus, cap. xviii, *de Elect.*, n. 3; et Thomas Zerola, in *Pract. episcopali*.

part. I, vers. *Electio*, in *Formula instrumenti electionis*, quæ est posita pro perfecto exemplari alicujus canonice electionis. Atque istud sæpius approbavit sac. Congregatio consistorialis: et quasi omnes electiones capitulares in Germania fiunt tali forma; prout videre est ex instrumentis electionum Ecclesie Bambergensis in præposituram Elwacensem, et Ecclesie Leodiensis; ac novissime ex instrumento electionis Frisingensis, anno Domini 1695, in persona reverendissimi et celsissimi domini Joannis Francisci, p. t. episcopi Frisingensis, et sac. Rom. imp. principis (cui DEUS felicissimum in plurimos annos gubernium concedere dignetur); nam et ipsius electio juxta formulam a Zerola relatum celebrata fuit, et non obstante quorundam contradictione per Sedem apostolicam confirmata.

Idemque suadetur ex verbis cit. c. *Quia propter*, h. t. nam ibidem pro principio actus inchoativi electionis dicitur: «Præsentibus omnibus — assumantur tres de collegio» in scrutatores. Circa actum vero prosequendum subjungitur: «qui secrete, et singillatim vota cunctorum diligenter inquirent:» unde in tali prosecutione actus potius apparet desiderari absentiam eligentium, præsertim, si id requirat angustia loci capitularis, ut scrutatores possint secrete, atque aliis non audientibus, vota cunctorum diligenter inquirere. Tandem vero circa terminationem actus electionis subditur ibidem: «Et mox publicent in communi:» unde oportet tunc capitulares ad pristina sua loca denuo esse regressos. Quamquam fatendum sit, dictum egressum eligentium e loco capitulari non esse necessarium, si cæteroquin is adeo sit amplius, vel ita constitutus, ut inquisitio votorum singulorum possit per scrutatores satis secreto, seu aliis non audientibus, rite peragi: cum hoc solum ibidem expresse requiratur, non illud.

115. *Ad electionem vocari debent omnes jus eligendi habentes. Ex contemptu unius, an electio reddatur irrita? Electioni plus obest contemptus unius, quam contradictio multorum.* — Queritur III. Quinam ad electionem debeant vocari? Resp. I. Certum est, quod ad electionem celebrandam convocari debeant omnes jus eligendi habentes; prout in sæpe dicto c. *Quia propter*, innuitur illis verbis: «Præsentibus omnibus, qui debent, et volunt, et possunt commode interesse.» Alias enim, si unus eorum contemneretur, id est, non

vocaretur, quamvis electio ipso jure non sit irrita (ac proinde ad substantiam electionis non pertineat vocare absentes, sed solum ad justitiam; ut ait Fagnanus, loc. cit. n. 28, post Abbatem, d. n. 13; Joan. Andream, et alios) nihilominus ille, qui vocatus non est, poterit agere de contemptu; et nisi malit pro bono pacis electionem ratihabere, ad ipsius instantiam ea erit irritanda, juxta c. *Quod sicut*, 28, h. t. Siquidem electioni plus contemptus unius, quam contradictio multorum obsistit; ut dicitur in c. *Venerabilem*, 24, et c. *Bonæ memoriæ*, 36, h. t.

116. *Enumerantur plures, qui de jure non debent interesse electioni, sicque non necessario ad eam vocandi sunt.* — Dicitur notanter in allegato textu. «Qui debent — interesse.» Ad excludendum videlicet eos, qui de jure non debent interesse electioni: uti sunt capellani, Ecclesie cathedrali inservientes alique clerici civitatis, arg. c. *Cumana*, 50, h. t., et c. *Cum Ecclesia*, 3, de *causa Possess. et propriæ*. Item excommunicati excommunicatione majori, licet cæteroquin sint de gremio capituli, c. *Constitutis*, 23, de *Appellat.* Et suspensi, c. *Cum dilectus*, 8, de *Consuetud.* Et interdicti, c. *Cum inter*, R. 16, de *Election.* Intelligendo istud de illis, qui ipso jure hujusmodi censuram incurrerunt, suntque denunciati, aut notorii percussores clericorum, juxta Extravag. Martini, V. *Ad evitanda*, atque amplius dicitur infra, n. 167 et 169, ac seqq. Insuper ad electionem vocandi non sunt impuberes, qui proinde si ad eam non vocentur, nequeunt agere de contemptu, text. clar., c. *Ex eo quod*, 32, h. t., in 6. Item, qui necdum sunt constituti in ordinibus sacris, Clem. *Ut iis, qui*, 2, de *Ætat. et qualit. præficiend.*, juncto concilio Trident., sess. 22, cap. IV, de *Reform.* Similiter citari non debent absentes ex propria culpa; puta, quia propter delictum, vel quod adhæserint hostibus suæ patriæ, vel Ecclesie, fuerunt expulsi, et relegati; tales enim perdunt omnia jura propria, arg. l. *Amissione*, § *Qui deficiunt*, ff. de *Capitis diminut.* Abbas, in c. *Cum omnes*, n. 7, et Felinus, ibid., n. 22, vers. *Sed utrumque*, de *Constitut.* Innocentius in cap. II, de *Novi operis nuntia*; Bartolus, in l. *Cunctos populos*, ff. *Secundo quæro*, l. *Dixi*, ff. de *Just. et jur.*

117. *Quid dicendum de illis, qui electioni interesse nolunt? Absens, qui scit vacationem Ecclesie, et diem electionis, ulterius non est necessario citandus.* — Dicitur alterius in relato

n. 115, textu: «Et volunt — interesse.» Quia eorum vocalium, qui electioni interesse nolunt, ratio habenda non est, cum alienos ab electione se fecisse noscantur, c. *Cum nobis*, 19, h. t., juncta Glossa, vers. *Alienos*, et doctores, ibid. Unde tales citari quidem debent, non autem compelli ad interessendum, cum libere possint suo juri renuntiare: nisi forsitan id exigat utilitas, vel necessitas Ecclesie; nam pro interesse Ecclesie poterunt absentes compelli, ut veniant, eo quod commune bonum Ecclesie præponderet privato, atque ad illud promovendum vi sui muneris teneantur capitulares. Abbas, in c. *Quia propter*, n. 4, h. t.; Miranda, tom. II, *Manual. prælat.*, quæst. 23, art. 6; Passerinus, de *Electione*, cap. XI, quæst. 4, n. 28 et 29, et alii. Cesante autem tali periculo Ecclesie, capitularis absens in vitus electioni interesse non compellitur. Imo et ille capitularis absens, qui scit vacationem Ecclesie, et diem indictæ electionis, ulterius per litteras, aut specialem nuntium, necessario citandus non est: tum quia certus non debet amplius certiorari, c. *Eum qui certus est*, 31, de *Reg. jur.* in 6; tum quia vocatio absentium non pertinet ad formam electionis, sed solum ad justitiam (ut inquit Fagnanus, in c. *Quia propter*, n. 38, h. t.) et solemnitatem: sicque suppletur per certam notitiam aliunde acquisitam: et si talis non venerit, censetur nolle interesse electioni, sibi que imputare debet. Abbas, in c. *Ecclesia vestra*, 57, n. 9, h. t.; Passerinus, cit. cap. XI, quæst. 7, n. 66, et alii.

118. *Absentes, an, et quando sint vocandi ad electiones? Consuetudo locorum quoad hoc est attendenda?* — Tandem dicitur in citato textu. «Et possunt commode interesse.» Quia nimum remoti pro electionibus, quibus commode interesse nequeunt, necessario vocandi non sunt, arg. c. *Cum inter universas*, 18, h. t., juncta Glossa, ibid., vers. *Remoti*, et alia Glossa, in can. *Factus est*, 7, q. 1. Quæ in utroque loco recte notat, quod omnes cæteroquin habiles, qui sunt in provincia, ad electionem vocandi sint; cum illi censeantur præsentibus, c. *Coram dilecto*, 35, h. t., et l. ult., c. de *Præscript. long. temp.*; tamen loquendo de aliis extra provinciam existentibus, in dijudicanda distantia locorum, ut quis pro electione vocandus non sit, potius sit standum consuetudini locorum, arg. c. *In Genesi*, 55, h. t. ubi dicitur, quod ad electiones faciendas «de toto regno Francie» vocentur absentes de consuetudine Ecclesie

Gallicanæ. » Patet enim, quod in regno Francie dentur plures, et multum inter se distantes provincie: sive dein sumatur provincia in sensu cit. can. *Scitote*, 6, q. 3, pro territorio archiepiscoporum, habentium sub se decem vel undecim episcopos suffraganeos: sive pro diocesi, ut explicat Barbosa in c. *Coram*, 35, n. 2, h. t. post Rotam apud Mantf. decis. 228, sive pro provincia usuali, scilicet prout homines eam appellant, ut vult Goffredus, relatus a Joan. Andrea in cit. c. *Coram*, n. 3, eod. Nec immerito circa hoc dicitur standum consuetudini locorum: nam, quia consuetudo potest in totum cuiquam deferre jus eligendi, aut eo privare veros electores, ut c. *Cum dilectus*, 8, de *Consuetud.*, et cap. *Cum Ecclesia*, 3, de *Causa possess.* multo fortius ea valebit ad declarandum jus eligendi, ubi dubitatur an istud cuiquam ob majorem distantiam competat respectu futura electionis et vocationis ad eam. Abbas in d. c. *Coram*, n. 5, de *Elect.*

Verum seclusa speciali locorum consuetudine, ac loquendo de rigore juris communis, ad electionem celebrandam omnes illi vocandi sunt, qui existunt in provincia, simulque commode vocari possunt, per textum in cit. c. *Coram*, 35, h. t. ibi «Fratribus omnibus, qui fuerint in provincia, convocatis:» non autem, qui sunt extra provinciam, argumento a sensu contrario desumpto ex textu jam allegato, juncto c. *Cum inter universas*, 18, h. t. Suntque tunc absentes citandi singulariter per litteras, vel nuntium, si sciatur ubi degunt, nisi de consuetudine aliud servetur: alioquin vero citatio facienda erit per publicum edictum in Ecclesia, vel alio loco, ubi commorari solebant, publice affixum. Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.* c. 19, n. 90, et 91, cum aliis. Fatendum tamen, quod Glossa in d. c. *Coram*, §. *In provincia*, et Abbas ibid. n. 5, et Barbosa in *Collectan.* n. 2, allegans alios, pensata æquitate canonica, et Ecclesiarum utilitate, cit. c. *Coram*, 35, h. t. intelligendum esse arbitrentur juxta c. *Quia propter*, 42, h. t. ita videlicet, ut non adeo curandum sit, an aliqui electores sint in provincia, vel extra; sed illud potius inspicere debeat, an sint tam propinqui, ut commode vocari possint. Siquidem contingere potest, quod quis existat in alia provincia, et tamen vicinior sit Ecclesie, de cujus electione agitur, quam alius, qui quidem est in eadem provincia, sed multum lata et longa, atque in finibus ejus con-